



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii  
In India Socij**

**Trigault, Nicolas**

**Coloniae, 1611**

XX. Coranum sibi restituete conantur Saraceni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45183**

## CAPVT XX.

*Coranum sibi restituere conantur Saraceni.*

**I**Niuriam hanc longè maximam, quàm quæ à multis retrò sæculis Mahometi fuerit irrogata, vindicare totis viribus annisi Saraceni. In Persis nihil erat opis aut spei: nam cum illi cum Turcis, quorum ritus Armuziani Saraceni sequebantur, non de imperio magis quàm de religione disceptarent; nobis etiam de occluso celeberrimo fano, impietatis capite, gratulabantur. In aperta vi, Rege ac Lusitanis obnitentibus, nihil erat præsidij; & tamen per fas ac nefas suos ritus repetebant. Hoc demum consiliũ ineunt, vt quod ferro non sperarent, auro conficiant. Itaque nouus iam Præfectus, ab Emanuele de Lima longè alius, viginti pardorum millibus, infami largitione, & à Lusitana animi magnitudine aliena, expugnatur; alij quoque nomine magis, quàm re Christiani, socij sceleris adsci-

adsci-

adsciscuntur. Non deerant hominibus impijs è pestilenti Machiaueli schola petitæ rationes: ærarium regium, arcem Lusitanam, sinus Persici dominium in discrimen vocari. Hæc illi expendunt; Religionis & fidei postrema est cura: veluti opes, potentiam, regnorum præsidia, non à Deo omnium bonorum largitore, sed à sua sibi industria atque in Deum perfidia, qui eius negotium omnium minimè gerunt, promittant. Sed tamen nihil sine Gasparis auctoritate audebant, nec facilè esse, in suas partes eum adducere, nouerant.

Ceterùm periculum illius facturi in arce apparant epulum; Gaspar ignarus quorsum euocaretur, Præfectorum regionum, vt præceperat B. Xauerius, obseruantissimus, ire non renuit. Inter cœnandum ex condicito Præfectus per ambages rem ingreditur. sensit subitò Gaspar, qui hominem nouerat, & iam nōnullos ea de re audiuerat seri sermones; atque se colligens ad certamen,

men, re tacitè Deo commissa, animum obfirmat. Pugnavit pro eo Dominus. Mira enim dictu res! vix apertè rem proposuerat, ecce subito, tangente Domini manu, sine voce, sine sensu, velut mortuus inter suorum manus dilabatur. Habita res ab omnibus pro furoris diuini, vt erat significatione. Itaque cum iam Præfectus ad se rediisset, vt qui iam sibi conscius esset largitionis, alia omnia facti poenitens loqui coepit, non iam de fani restitutione, sed euerfione, ad quam rem operam suam promittebat. Sed Gaspar gratijs actis, nihil præter ea quæ Emanuel de Lima Præfectus alter reliquerat, censuit innouandum. Porrò ex reliquis, quorum opera Mauri in Præfecto corrumpendo vsi erant, multi breui omnibus stupentibus miserè perierunt; ceteri tot adierunt fortunarum ac vitæ discrimina, vt ad poenam non ad solatium reseruari esse viderentur. Quæ porrò homines impij adferebant, Deus in alia omnia conuertit:  
nam

*Præfectus  
Gasparis  
conati-  
bus ad-  
uersariis  
velut  
mortuus  
concidit.*

nam de solo arario cum antè quadraginta pardaorū millia colligerentur, eo anno ad centū millia insigni accessione summa excreuit. De tumultu verò nullus sermo: nam Saraceni iam se pro victis gerentes obmutescere, & taciti secum sui vatis iniurias decoquere coacti sunt. Ecclesia verò tantam est deinde pacem consecuta, vt præ feruore ac pietate scribat ipse Gaspar, omninò sibi videri, se Ecclesiae nascentis aurea illa sæcula esse assecutum.

## CAPVT XXI.

*De Gentilium salute per Gasparem procurata.*

**G**ASPARIIS caritas per omnes mortalium ordines peruagata, ne gentiles quidem, qui soli videntur mihi superesse, reliquit intactos; ijs eum locum, quem à fide vera remotissimi tenent, extremum damus. Gentiles igitur erant Armuziæ permulti, quibus bonæ pro Dijs colere præ ceteris sollemne